

si verò de in rem actione quæratum; levis culpa, qua res non appareat, non considerabitur, sed, an dolo quid factum fuerit, requiretur. *l. quid ergo. 53. §. ult. ff. de leg. 2. fac. l. si rem meam. 17. ff. de except. rei jud. & l. sin autem. 27. §. possidere. 1. & §. sed & is. 3. ff. de R. V.* Quemadmodum & de solo dolo latàque culpâ tenebitur heres, si cum hereditatem restituere purè rogatus esset, per moram negligentiam fideicommissarij non petentis, res aliquæ ex hereditate perierint. *l. mulier. 22. §. sed enim si quis. 3. ff. ad SC. Trebell.*

CCLV.

Vtrum quarta legis Falcidia retineri tantum, an verò & peti possit?

VT ut olim, & ordinario jure, retineri tantum, non vindicari potuerit: (quod probabile est, quia passim illud *capere*, quo lex Falcidia in secundo capite utitur, *l. 1. pr. ff. ad leg. falcid. de retentione acceptum & expositum apparet: at l. pater. 14. §. avia. 1. l. quod bonis. 5. §. frater. 1. l. acceptis. 93. & alibi. ff. d. t.* Qua & potissimum de causâ interdictum *quod legatorum* in usum venisse videtur: quod nimirum obtentâ per id possessione, retentio illa competenter fieri posset. *l. un. C. quod legator. & circa fideicommissa, in quibus SCtum Pegasianum, idem quod in legatis lex Falcidia, observat. §. sed quia. 5. Inst. de fideicommiss. hered. clariùs ea sententia proponitur in l. heres. 21. ff. ad SC. Trebell.*) Eâque in re differentia inter legata, & mortis causa donationes fuerit: ut colligi potest

EX